UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Disciplina & Institvtio Studiosæ Iuuentutis Tum Pietati & Eruditioni tum formandis moribus seruiens

Coloniae, 1648

De præceptore eligendo, & obedientia illi exhibenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-55193

Visual Library

Pranſus hilariter quædam facito.
Sub cœnam pauliſper inambula.
Cœnatus idem facito.
Ieiunus ſtudebis ac ſcribes.

De præceptore eligendo, & obedientia illi exhibenda.

Præceptorem tibi eligas quàm eruditiſſimum.
Neque enim fieri poteſt, vt is rectè quenquam erudiat, qui ſit ipſe ineruditus.
Quem ſimul atque nactus fueris, fac modis omnibus efficias vt ille patris in te, tu filij viciſſim in illum induas affectum.
Neque minorem enim honorem debemus ijs, à quibus rectè viuendi rationem, quàm à quibus viuendi initia ſumpſimus.
Alioquin credito te fruſtra literarum præceptorem habiturum, niſi habueris & amicum.
Deinde vt te illi attentum, & aſſiduum præbeas.

Optima quæque ſtatim ac primùm diſce.

Extremæ eſt dementiæ, diſcere dediſcenda.

Præceptorem interpretantem, non attentus modò, ſed & auidus auſcultato.

Non contentus impigrè ſequi diſſerentem, aliquoties præuolare contende.

Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis mandabis, fideliſſimis vocum cuſtodibus.

Noli committere vt codices eruditos habeas, ipſe ineruditus.

Audita ne effluant, aut apud te, aut apud alios retracta.

Diem in horas partire, quibus certa habeas quæ legas.

Nec his contentus, aliquam temporis partem tacitæ cogitationi tribuere memento.

Conflictatio, & tanquam palæſtra ingeniorum, neruos animi præcipuè tum oſtendit, tum excitat, tum adauget.

Nocturnas lucubrationes atque intempeſtiua ſtudia fugito. Nam & ingenium extinguunt, & valetudinem vehementer offendunt.

Aurora Muſis amica eſt, apta ſtudijs.

De ratione Studij.

In ſtudijs formandis duo præcipuè ſpectanda ſunt, primum, quod ſtudiorum genus maximè ſectari velis. Secundum, qua ratione in eo quod elegeris, plurimum efficias.

De primo: Si facultatum vberior copia & felicior ingenij vis tributa eſt, quantum in te eſt, totis viribus ad optima te conferto.

Artes ſic rectè ab infantia diſces, ſi quod apud probatos autores legeris, idipſum quam maximè proprijs & idem ſignificantibus verbis reddere vernaculo ſermone coneris: vt quoties dicendum tibi aliquid eſt, aut ſcribendum, quando concipiendis verbis apud animum tuum, ſeſe, quò natura fert, vernaculus ſermo protulerit,